



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

20. Mortificatio gulæ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

III. Salvator mi, libera me à rancore invidiæ, ut replear charitatis Tuæ dulcedine.

P A S S U S XX.

Mortificatio Gulæ.

T E X T U S.

Attendite, ne fortè graventur corda vestra, in crapula & ebrietate. Lucæ c. 21. 34.

Cognitio.

Gula est inordinatus appetitus alimenti, qui quinos excessus seu actus complectitur.

1. In quantitate, nimium cibi & potus sumendo, excedere.
2. In qualitate, nimis lautum ac delicatum cibum, potumque appetere.
3. In tempore: ante & extra consuetam horam, edere & bibere.
4. In modo: nimiâ aviditate & ardore, alimentum sumere.
5. In condimento: esculenta nimis studiosè & exquisitè præparata desiderare.

Con-

Consideratio motivorum.

Qui gulæ damna æquè, ac supplicia crebrò ad mentis trutinam revocaverit, facile sibi frænum injecerit. Oritur enim ex ea

I. In anima inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo intellectûs, tædium orationis, ac dissolutio.

II. In corpore, pigritia, somnolentia, podagra, chitagra, colica, cachexia, plethora, rheumata, omnium morborum turma, ac denique mors accelerata.

III. In utroque *Gula*, inquit Innocentius Papa devilit, cond. hum. *Paradisum clausit, primogenita vendidit, suspendit Pistorum, decollavit Baptistam, Nabuzardan Princeps æoquorum, templum incendit, & Ierusalem totam evertit. Balihasar inter epulas, manum scribentis vidit: & eadem nocte peremptus est à Chaldæis.* Cave igitur tibi, & pone gulæ metas, ut sit tibi longior ætas.

Petitio.

Quis est, Domine, qui non aliquando rapiatur extra necessitatis limites? Quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum; ego verò non sum ille. Quare ad Te confugio, & peto suppliciter, fragilitatem meam corrobora, ut nunquam in cibo potúque excedendo, corpus gravem; nunquam lau-

titias

titias quæram, appetitûs æstum nunquam non moderer, tempus observem, alios non plûs æquo invitem, multò minûs cogam ad edendum vel bibendum; ne cum epulone divite, ad famem sitimque perpetuam condemner, & inter gehennæ flammâs sepultus, aquæ guttulam frustrâ efflagitem.

Aspirationes.

I. *Noli avidus esse in omni epulatione, & non effundas te super omnem escam. Eccli. 37. 12.*

II. *Averte à me, Domine, oris scurrilitatem, & ventris ingluviem. S. Aug. Med. c. 1.*

III. *Utinam, mi JESU, nunquam in cibo, potûque sumendo excederem; sed semper ad alimenta, tanquam ad medicamenta accederem.*

P A S S U S XXI.

Mortificatio Iræ.

T E X T U S.

Omnis amaritudo, & ira, & indignatio tollatur à vobis. Ephes. c. 4. 31.

Cogni-